Quaestio medica quodlibetariis disputationibus agitanda in Scholis Medicorum die Jovis 16a novembr.

Clarissimo viro D. Joanne Corrao Doctore medico Moderatore prudentissimo.

Suntne alia naturae, alia Morbi opera?

Natura humanum corpus per se frigidum, ex primis mundi elementis, horum non formis sed qualitatibus manentibus vetustis, et ex proximis principiis, seminis et sanguinis menstruo, qui sua natura benignior est, primum conformavit. Ipsa vero cum nihil aliud sit quam in seminis actu animato humidoque primigenio, quod absumptum non potest reparari, et in spiritu triplici, triplicis facultatis instrumento residens calor, non caelestis ille quidem, sicut a calore qui in exspirabili est diversus: non modo animal procurat, sed etiam solidas eius partes (quae discissae nec augeri nec coalescere possunt) secundum minimas partes nutrit, auget, auctasque conservat, morborumque materiam digerit, coquit, eamque non nisi coctam expellit.

Quare vel per sanitatem conspicua sunt naturae opera, et vel in morbis in quibus ipsa molesta quadam causa stimulata, rigorem (qui materiae morbi vel extrinsecus pulsae, vel in praecordiis vellicantis excitatur) sibilationem, tussim, oscitationem, pandiculationem, singultum ab iisdem omnino causis a quibus et convulsio ortum habet, inducit. Ad haec salutares crises, quae statis quaternarioque et septenario numero definitis diebus eveniunt.

Morbus affectus est praeter naturam actionem primo laedens. Omnis a symmetria definitur. Alius similares, alius dissimilares partes varie vexat, alius ambas exercet, quem solutionem continui nominant, quam solam doloris causam falso aliqui crediderunt. Causam omnis habet antecedentem, plerique etiam continentem, et nullus caret symptomate, quod, ut et causa, ad aliquid dicitur, morbusque haberi potest, interdum morbo primo molestior, consistitque aut in actionum offensa, aut in corporum ipsorum affectu, aut in retentis vacuatisque immodice.

Itaque cum morbi proprium sit naturam dissolvere, non est dubium permulta eius esse maleficia, ut quae ipsa materia morbi certo quodam ~~morbo~~ modo agitata et commota, natura vero ipsa aut plane edomita, aut sibi tantum cavente, aut certe minimum repurgante, contingunt: cuius generis est convulsio, duabus tantum de causis inanitione et repletione contracta, apoplexia, paralysis, coma, palpitatio, syncope, lethargia, icterus, hydrops, et quaecumque symptomatice crudo adhuc morbo eveniunt.

Natura et morbus dum contrariis viribus decertant, seque variis insultibus mutuo impetunt, multa symptomata consequuntur, naturae (quae non est a sola exspirabili) et morbi communia; qualia sunt tremor, torpentiumque motus, et eorum quorum rubi adhuc resolvuntur. Ad haec pulsus cordis praeter naturam facti, et bradypepsia, et quae quaecunque dubia adhuc crisi apparent.

Sunt ergo Naturae, et Morbi diversa opera.

Ponebat Michael Marescotus Lexoviensis. M.D.LXiiij

Domini Doctores Disputaturi.

Ma. Claudius Bailly. | Ma. Nicolaus Audouart. | Ma. Ludovicus Duret Professor Regius.
Ma. Stephanus Gourmelen | Ma. Nicolaus Richelet. | Ma. Petrus Laffilé.
Ma. Joannes Liebault. | Ma. Mauricius De la Corde. | Ma. Franciscus Brigard.